

potui amplius facere vineæ meæ? nam impii etiam in genere mediorum externorum Deum sibi deesse quererentur. Nam medicus, qui indebito modo & tempore applicet sciens & prudens emplastrum vulneri, & eo modo, quo scit, non curatum iri: num quis diceret, eum naturali desiderio voluisse ut curetur, aut eum posse dicere, quid amplius potui facere ægro meo?

IV.

Conversio non consistit in irresistibili quodam influxu efficacique intellectus & voluntatis quasi debellatione, quæ infinita virtute, quamvis in homine irrogenito, repugnantiam superare possit.

Reformatorum sententiam ferit nostra thesis, qui docent gratiam convertentem tantæ esse efficaciam, ut eo tempore, quo Deus decrevit, e. gr. Petrum vel Johannem convertere, effectus ille conversionis infallibiliter sequatur. Hinc Amesius Rescript. ad Nicol. Grevinchovium cap. 7. in quo de modo conversionis agit, sic ait: nos ut illibatam salutis nostræ gloriam servemus Deo, eum non proponendo, suadendo, illuminando tantum conversionem nostram procurare dicimus, sed efficacia vera ac reali voluntatem nostram sic afficere, ut influentiæ ejus vi & voluntatis assensu fides vera infallibili certitudine sequatur, vid. p. 98. & seqq. Gemina habet Franciscus Turretinus Professor haud ita pridem Genevensis Institut. Theol. Elenctic. Tom. 2. p. 568. Johannes Wollebius in Theol. Christian. irresistibilis inquit, hæc gratia est, quia Deus per Spiritum S. electos suos ita trahit, ut inevitabiliter sequantur. Consentiant ex Pontificiis, quicunque cum Thoma defendunt prædeterminationem Physicam,
per